Damnum ejus Spirituale vel Corporale, quod ex voto timendum
bet.—
jor bonum ex dispensatione oritur.—
a Commutare votum in bonum melius et saluti suae, melius
potest.
quis metu, vel gravis mali pavet, valetne?
, quia vovit coactus et non libere.—
quis voveat exterius, et interius non habeat propositum
plendi, valebitne tale votum?
n: quia vovens habet contrariam ~~[illegible]~~ intentionem voto, et
cat mortaliter sic eludendo Deum.—
testne Episcopus commutare Votum Castitatis ad eorum
pus emissum et votum de non contrahendo?
test, et in illis dispensare ex justa Causa, propter ser=
~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio
conversatione voventium
a dispensans in voto castitatis, dispensatne in fine an tantum
[illegible] onii et actum ejus?
[illegible] ensat, sed solum in parte [illegible]

Chcący pozwanych, ktorzy
iakąs nieprawość uczynili

Ktorzy odkazuiący pozwanych,
ktorzy sobie iakąs nie prawość
uczynili, teraz gwałtem oponuiąc się
za nim, ażeby karą smierci nie był
karany

M. X. 14.

DISPUTATIO MEDICA.
DE
ARTHRITIDE,

Quam
Annuente Divino Numine,
CONSENSU
AMPLISS. FACULTATIS MEDICÆ
sub PRÆSIDIO
VIRI,
Nobiliss. Excellentiss. Experientiss.
DN. FRIDERICI LEPNERI
D. & P. P. p. t. Decani,
Dn. Promotoris ac Præceptoris sui, ætatem Colendi, amandi, publico Eruditorum
Examini submittit.
MATTHÆUS NEUMANN, Spremb. Lusat.
AUTOR & RESPONDENS
In Acroaterio Majori
Ad diem 27, Iulij Anno 1673. horis antemer.

REGIOMONTI.
Excudebat Paschlis Mensenii.

VIRIS

NOBILISSIMIS AMPLISSMIS CONSUL-TISSIMIS DOCTISSIMISQUE DN.

DOMINIS

CONSULIBUS, PRÆTORI SCABINIS, SENATORIBUS, SYNDICIS, NEC NON SECRETARIIS REIPUBLICÆ GORLICENSIS.

MOECENATIBUS, FAUTORIBUS atq; PROMOTORIBUS

suis

æternum colendis, suspiciendis, hanc Disputationem humilimè offert

AUTOR.

I. N. J.

DE ARTHRITIDE.

§. 1.

DOlor articulorum regionem obſidens, & circa eam præcipuè verſans, cum hoc tractu temporis frequentiſſimè fermè quibuscunq; in locis & regionibus homines invadat; haud abs re futurum ducimus ſi aliqvid temporis in illius naturâ evolveuda impendamus.

§. 2. Debet autem iſte, qui circa articulos percipitur dolor, nomen ſuum Græcis, quibus dicitur Ἀρθρίτις, ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, ab articulo. Latini eâdem contenti appellatione. Nominatur enim Arthritis, item Morbus ſeu dolor articularis. Quibusdam Podagræ nomine venit, ſed minus accommodate. Inſignitur ſiquidem particularis affectus denominatione totum: etſi ut plurimum has primo inficere partes ſoleat.

§. 3 Accipitur vocabulum Arthritidis à qvibusdam latè nimis & generaliſſimè. Denotant enim eo quoscunq; dolores, qui circa articulos contingunt à qvavis cauſâ, ut luxatione, compreſſione, ictu, vulnere aut aliâ. Deinde ſumitur generaliter ſignificans dolorem ab acri & ſalinâ materiâ ortum trahentem. Et hâc ſignificatione etiam ſub ſe comprehendit dolorem, qui in muſculorum tendinibus, aliisq; fi-

brosis ac nervosis partibus percipitur. Germani vocant Die Flüsse oder Fliehende Gicht. Porrò ponitur hæc vox specialiter, omnem dolorem innuens, qui à prædictâ causâ in quamcunq; compagem ossium diffunditur, sive cum sive sine medio, sive cum motu sive absq; eo. Et hoc pacto huc pertinent dolores dentium, in capitis suturis & similes. Denique specialissima & propria huic voci inditur significatio, quatenus denotat dolorem â causa acri & salinâ ortum habentem in articulis, quos strictè ita dicimus, qui artati sunt per διάρθρωσιν, qualis articulatio est in humero, cubito, & per συνάρθρωσιν, ut carpi & metacarpi ossa.

§. 4. Æquivocatione omni averruncatâ prolixjorem nominis evolutionem mittimus, scientes neminem hâc ratione sanum evadere posse. Ideoq; rem aggredientes ipsam definimus Arthritidem, quod sit dolor partium circa articulos, à defluxu humoris serosi, salsi & acris ex arterijs in eas effusi excitatus, periodicus, motum impeditum cum alijs malis habens conjunctum.

§. 5. Genus Arthritidis posuimus dolorem, symptoma sensitivæ facultatis, quem motus impotentia comitatur. Est enim hic loci doloris potissima habenda ratio, utpote qui maximè affligit & sentitur, adeò ut sæpe neglecto ipso morbo operam medicam exposcat. Hinc Polemon sophista, qvum articuli morbo lapidescerent, Medicosq; admonuisset ut effoderent, & inciderent Polemonis lapicidinas, dicebat: comedendum est, manus non habeo ambulandum, est, pedes non habeo; dolendum est, & manus habeo & pedes.

§. 6. De doloris causa magna est controversia, inque varias sententias abiere Medici cum Philosophis. Alij intemperiem accusant; solutionem continui alij; alij utrumq; intemperiem scilicet & continui solutionem simul, alij aliter. Quia verò unius effectus una proxima atqve immediata est

cau

causa, inter quam scil. & effectum nihil intercedit; nos illorum sententiæ favemus, qui causam doloris statuunt continui solutionem, quippe quæ cum dolore reciprocari potest. Solvitur autem continuum, ab humoribus acribus. Itaq; dolor omnis à spiritibus salium resolutis proficiscitur, in quibus saporum extremitates adsuut,

§. 7. Subjectum Arthritidis quidem sunt articuli; ast doloris, partes membranosæ ac sensu præditæ circa articulos, in quas scil. partes humor iste vitiosus sese insinuat, ibique vellicando & distendendo dolorem excitat. Excluduntur itaq; omnes affectus dolorifici, qui non circa articulos, sed alibi in aliis partibus excitantur; cæteri itemq; dolores, qui quidem circa articulos fiunt, sed non eo, quo diximus, modo. Neque ligamenta membranosa facultate sentiendi & dolendi destituuntur, cum à nervis spiritum animalem accipiant. Locus, ubi synovia seu dulcis articulorum succus ad motum facilitandum continetur, hospitium huic humori vitioso præbet: adsunt enim viæ, per quas materia in ipsam cavitatem transsudare potest.

§. 8. Cum verò causarum notitia nos in rerum cognitionem ducat, neq; morbi, nisi causæ caveantur, vitari, neque causis præsentibus tolli queant; in ijs inquirendis plurimum negotij dandum. Immediatam & continentem causam quod attinet, Medici de hâc nullo modo inter se conveniunt. Asscribunt quidam originem ejus malæ intemperiei; verùm ob accidentia in hoc affectu conspicua & manifesta, qualitates primas vix sufficere statuimus. Placet aliis materia valde cruda, aliis aliud quid. In hoc autem omnes consentiunt, arthritidis causam in humore aliquo consistere. Qualis verò iste humor sit iterum dissentiunt. Confugiunt alii ad humorem ex pituitoso & bilioso alij sanguineo mixtum. Non-

 nul-

nullis sanguis crudus & aquosus placet. Quidam serosum humorem suâ vel quantitate vel qualitate peccantem agnoscunt. Cum autem humores prima arthritidis causa simpliciter non esse possint; quidam malignitatem accusant, & humorem malignum hujus morbi causam agnoscunt. Verum enim verò nulla hic malignitas perspicitur, sed vehementia doloris ab acrimonia humoris provenit.

§. 9. Proinde ab eorum partibus stamus, qui humorem serosum non aqueum quidem, sed salsum & acrem hujus mali causam constituunt, qvi partes sentientes circa articulum distendendo, pungendo & vellicando dolore afficit. Chymicis doloripara hujus affectus materia, qvæ in humore seroso continetur, tartari, aliis salis, nonnullis serosi tartari nomine venit. Salsum hunc humorem spirituum, qvi Chymicis ita dicuntur, sæpe induere naturam, atrocissimi & acutissimi dolores satis indicant, qvos ob subtilitatem parit. Id qvod vel ex causis manifestum est. Vinum enim, cui plurimum hujus salis & tartari inest, maximè generationem arthritidis promovet} non obstante, qvod multi potatores vini ab eâ sint immunes, nam prohibet eam robur viscerum coctionidicatorum.

§. 10. Causa proegumena seu interna est superfluitas hujus materiæ in corpore. Originem hæc trahit partim à viscerum debilitate, qvæ iccircò neq; coctionem satis perficiunt, neq; excrementum ab alimento rectè separant; partim ab actione depravatâ, cum separandorum ob calorem vel virtutem intensiorem prohibetur separatio; tunc enim succo nutritio commixta ad articulos mittuntur, qvi debilitati materiam hanc facilè qvidem admittunt & recipiunt, legitimè verò rursus expellere haud valent.

§. 11. Qvare verò humor iste acris & tartareus non aliis partibus æqvè ac articulis officiat, Cl. Senerto ideo fieri

Vi-

videtur, qvod peculiarem ad articulos habeat ῥοπὴν seu momentum.

§ 12. Fit autem ista ῥοπὴ hoc modo; notum est, in rebus naturalibus simile semper appetere sibi simile. Itaq; veritati consentaneum videtur, humorem istum tartareum, inq; sangvine magis terrestrem magnam habere cognationem cū ossibus, ligamentis & tendinibus: etenim hæ partes naturâ glutinosæ, nutrimento etiam glutinoso & conseqventer salsuginoso & tartareo gaudent. Hinc sanguine per arterias propulso ad articulos fit, ut articulis amica retineantur ibidem. Cum verò impurum & superflunm tartarum occupat totum vel ob diætæ commissum errorem, vel ob partes non secundum naturam agentes, majori etiam copiâ ad articulos fluit; ubi retentum radices figit, augmentationem sui ex simili crudâ materiâ capiens. Accedit partium illarum imbecillitas, qvæ causam agnoscit hæreditariam dispositionem vel aliam similem; ob qvam humores vitiosi recipiuntur, quidem, ast neque digeruntur, digestione nimirum propriâ & particulari, neque expelli possunt; cumulati igitur ibidem ebulliunt, incitati ab aliquo influxu vel animi pathemate; magnosq; cruciatus & molestias afferunt salibus corrosivis utilibus in suam naturam conversis.

§. 13. Positâ parte recipiente viæ proximùm considerandæ veniunt, per qvas hic humor vitiosus ad eam fluat & deferatur. Inter varias autem, quibus impleti sunt libri Autorum, sententias probabilior videtur divini senis, qui statuit fluxionem fieri per arterias & venas; id qvod vasorum ad pedes, manusq; tedentium & extremis articulis insertorum, tumor manifestus, manifestè persvadet; itemque subitanea hujus morbi invasio. Neque necessitatis erit: statuere affluxionem fieri per insensibiles nervorum cavitates. Quid enim

opus

opus vias quærere occultas, cum de manifestis constet? ob circularem verò sanguinis motum, quia sanguis naturaliter per venas non affluit, hæc sententia ita intelligenda erit; ut affluxus tribuatur arterijs, venis vero refluxus.

§. 14. A quibus partibus humor hic serosus originem ducat, iterum dissentiunt Autores non contemnendi; dum alij solum caput scaturiginem & fontem hujus existimant; alij contra hanc opinionem tanquam insufficientem reijcientes reliquas ponunt partes, unde fluxio proveniat. In hac sententia, quæ verior & probabilior est, etiam nos acquiescimus, eamq; defendere conamur; illa namq; neque rationi, neque experientiæ respondet. Imprimis epar & lien accusantur. Sed neqve Ventriculus cum intestinis, ut in plerisq; morbis internis, ita & hic, non suspicione carent; utpote quæ etiam aliquid huc conferre possunt, si nimirum coctio prima non rectè absolvatur, fecesq; tartareæ non sufficienter segregentur, & crudi succi ad epar & lienem transmittantur. Non tamen coctio prima ad generandam arthritidem sufficit; sed vitium secundæ coctionis rectè additur; quando partes inutiles, salsæ ac tartareæ à læsione ventriculi venientes non bene segregantur; sed ita permixtæ ad articulos deferuntur.

§. 15. Causarum procatarcticarum sive externarum consideratio juxta res non naturales institui potest. Faciunt autem omnes vel ad arthritidis generationem, vel articulorum debilitationem, vel humoris commotionem. Aër vernus & autumnalis arthritidem imprimis excitant, cum humores eo tempore maximè mutentur & moveantur. Ineunte enim vere fit, ut sal generativum ab influxu solis tàm in terrâ quam animalibus commoveatur & excitetur, humoresq; hyeme cumulati tùm fundantur; id quod vel inde videre est, quia tunc temporis omnia maximè turbantur, effervescunt, inque

Ve-

Venerē proclivia sunt. Autumno cutis densatur, & accidentaliter arthritis per constrictionē excitatur ab aëre; crassis præprimis & salsis vaporibus repleto, tempestatibusq; inconstantibus. Generationis hujus tartareæ materiæ vim habent validā esculentorum crassorum & crudorum assiduus & immodicus usus, ut piscium in locis limosis degentium, carnis suillæ & bovinæ salsæ ac fumo induratæ, casei, leguminum & fructuum non rectè digestorum vel etiam immaturorum. Inter potulenta imprimis nimius vini potus ad eam valde conducit generandam vel juxta illud:

Ut Venus enervat vires; sic copia Bacchi,
Et tentat gressus, debilitatq́ pedes.

Improbantur autem præcipuè vina in locis limosis, calcosis, lapidosis, mineraleque aliquid admixtum habentibus crescentia: item cerevisia turbidis & limosis aquis cocta.

§. 16 Cœteræ causæ non tàm arthritidis generationem, quàm commotionem materiæ, articulorumque debilitationem respiciunt; ut somnus immoderatus, ubi nimirum excrementa non naturaliter expelluntur; sed diutius, quâm par est, in corpore detinentur, caloremqve naturalem non augent, sed debilitant. Vigiliæ dissipatione caloris nativi id præstare valent. Eadem ferè est ratio motus & quietis. Hæc nimirum, ubi modum excesserit, corpus excrementis, quæ non discuti possunt, explebit, calorem naturalem obtundendo, ciborumque coctionem & distributionem infeliciores reddendo: ille verò nimius spiritus & solidarum partium substantiam exhaurit ac dissipat, & per consequens totum corpus refrigerat & coctionem impedit. Animi pathemata ad excitandum paroxysmum multum valent: imprimis Venus

nimia articulos & partes nervosas debilitat, hinc Pöetis Bacchi, Venerisque filia audit. Excreta deniq; & retenta si non naturaliter sese habeant, affectum hunc inducere possunt, utilium excretione & inutilium retentione.

§. 17. Causis enarratis etiam de consequentibus aliquid addendum. Inter præcipua autem recensentur: Febris inferens horrorem: sitim, calorem; accenditur ob humoris alicujus motionem, quæ fit à salis ebullitione, ipsaque febris pro naturâ humoris, alijs atque alijs diebus intendi solet. Dein de Inflammatio & tumor, quæ accidunt à materiâ istâ, quæ in partem aliquam influxit. Motus impotentia & contracturæ fiunt, cum humidum nativum dissipatur, nervosæ & ligamentosæ partes exsiccantur, cum item magna humoris copia affluxit Spiritus animales turbans. Tophi fiunt à coagulatione salis: & quædam alia interdum accidunt, ut debilitas oculorum continua, cum motu fermè abolito: convulsio & paralysis rarò superveniunt.

§. 18. Differentiæ arthritidis potiores desumuntur 1. ab exortu, dividi potest in hæreditariam & adventitiam. Hæreditaria est, cujus causa à parentibus dependet, & ab ipsis statim cum semine in liberos transfunditur: Adventitia est, quæ non à parentum semine, sed aliunde derivatur. 2. Ab invasione, alia est ordinata, alia inordinata. Ordinata, quæ certis periodis & temporibus, præcedentibus signis affligit; inordinata, quæ certum ordinem nullum observat 3. A tempore alia est, quæ semel tantùm invadit, alia, quæ longo temporis intervallo redit; & quæ per totius vitæ decursum permanet.

§. 19. Differentia 4 à causis varia est, prout hic vel ille humor, vel plures simul sero tartareo commiscentur. Si sanguis adjungatur, ingens rubedo, venarum & arteriarum distensio, aliaq; plethoræ signa apparent. Si bilis admiscatur, to-

ta

ta pars erit aureo & flavescente colore obsessa, tensio & dolor acrior, inq; toto corpore bilis abundantia. Si pituita & serum mista sint, dolor cum reliqvis symptomatibus non admodum vehementer urget, tumore apparente molli & albicante. Si serum cum Melancholiâ afluxerit, signa scorbuti aderunt. Qvum autem Arthritis freqventior à mistis humoribus oriatur, habebit & ejusmodi signa. Chymicis ex di-diversis proprietatibus salium differentiæ constituuntur.

§ 20. Differentia 5. pro varietate articulorum, qvos dolor hic afficere solet, sunt variæ: Qvæ enim pedes vexat, dicitur Podagra, & horum pollices imprimis Sinistri sæpissimè primum invadit. Si manus exercentur, dicitur Chiragra. Præcipuus & gravior articulorum dolor est in coxendice & dicitur Ischias. Si in genibus hæc materia consistit, eaq; dolore afficit, dicitur gonagra.

§. 21. In signis ut longe immoremur haud necessarium ducimus; cum ipsum malum per se satis sit manifestum. Perspicitur enim facilè ex dolore, tumore, rubore aliisque, ipsâ quoque signa ex relatione ægri sunt ferè evidentia; accedit motûs impotentia, inque diuturnâ arthritide tophi. Causarum signa discerni pro varietate humorum possunt.

§. 22. Etsi arthritis ut plurimùm non morbus lethalis, pertinax tamen admodum & difficilis curationis & facile recidivus est. Est tamen curabilis; id qvod multa exempla eorum satis demonstrant, qui vel medicamentis, vel bonâ diætâ, vel etiam casu aliquo fortuito ab arthritide prorsus liberi evasere. Et omninò credendum, non esse insanabilem tàm in adultis quàm quàm in senibus, si modò viscera non prorsus sint depravata, aut articuli debilitati; si tempestivè morbo occurratur; si æger diætam à Medicô doctô præscriptam probè observet; si natura & conditio ægri sufficiat ferre medica-

dicamenta causæ morbificæ paria; si denique Medicum doctum consulat, non verò Empiricos aut Agyrtas admittat, & quibus non convenit Medicam exercere artem ob imperitiam, dum alio munere sibi demandato fungi deberent: propter istiusmodi enim unguentarios factum est, ut morbus iste à vulgò fere desperatus & incurabilis hoc tempore habeatur. Ischiadicus dolor, etsi inter arthridis species gravissimus, facilius tamen cæteris in principio curatur. Non tam citò ab arthritide infestantur, quibus alvus est obediens. Vere & autumno podagrici dolores maxime moventur. Ante Veneris usum pueri non facilè Arthritici fiunt. Mulieres rarò ante suppressa menstrua podagrâ laborant.

§. 23. Cognito jam malo, ejusque causis, ad ipsam indicationem nos accingimus, quæ vel præservatoria est, vel curatoria: Præservatio ita absolvitur: videndum 1. Ne materia ista, quæ ad articulos fluere queat, in corpore generetur. 2. Ut si quid p. n. collectum sit, antequam ad articulos ruat, evacuetur. 3. Ut articuli & viscera roborentur. Primum præstabit debita victus ratio, quæ omninò utilis est, etenim ab iisdem, quibus nutrimur, etiam lædi possumus. Consistit autem hæc in rerum non naturalium legitimo usu. Fugiendus igitur omnis aër in qualitatibus valde excedens; frigidus imprimis, qui transspirationem illam perpetuam prohibet & corpora densat. Esculentorum præcipuè & potulentorum accurata habeatur ratio: abstinendum enim penitus à coctu difficilibus, glutinosis, crassi succi & tartari multum in se continentibus cibis: e. gr. carnibus suillis & bubulis veterioribus salsis ac fumo induratis, anatibus, anseribus, anguillis, tincis; vitanda quoq; humiditate multâ prædita, ut melones & horum similia, nec non legumina pleraque. Nunquam ita cibis corpus implendum, ut nullum ejus restet desiderium

Ne-

Neque varietas in unâ mensâ concedatur. A vino nimio abstinendum, Hungarico præcipuè & Rhenano, hoc enim in locis saxosis & rupibus crescit, ubi tartarum, quod à vite ob reflexionem radiorum solis extractum valde fixum redditur & vino commiscetur. Hispanicum verò & alia in non tàm calcosis locis provenientia, parcè si sumantur, admitti possunt. Cerevisia crassa & non defæcata crassum generat sanguinem & tartari cumulatrix est. Somnus & vigiliæ moderatè usurpentur, moderatus siquidem somnus recreat, immoderatus calorem obtundit & debilitat. Item motus & quies non modum excedant: & reliquæ actiones, imprimis Venus nimia cane & angue pejus fugiatur, admodum enim enervat hominem. Hinc Pythagoras rogatus à quodam, quando esset congrediendum cum fæminâ, qvum voles, inquit, teipso fieri debilior: excrementa alui quotidiè deijciantur, & si evacuationes consvetæ non succedant, arte viæ aperiantur. Affectus animi immoderati vitentur.

§. 24. Ad prohibendum, ne tartarum, ubi jam productum fuerit, ad articulos detrudatur & defluat evacuatione opus erit pro humoris peccantis naturâ & condione ægri, itemque partis. Institui autem evacuatio potest per alvum, per sudorem, per urinas, per fonticulos. In corpore Plethorico V. S. institui potest, multis enim profuisse tradunt Autores. Purgatio per alvum admodum utilis, cum plurimis sæpe profuerit sine alijs medicamentis; imprimis ijs, quorum natura non facilè vomitum fert. Commendantur autem purgantia ex Hermodact. Scammon. sen. agar. rhabarb. Rad. Jalap. Helleb. nig. Pulv. arthrit. Paracel. Electuar. Carjocost. Horatij Augenij & aliis, de quibus videantur Practici. Purgantibus Vomitoria non incommodè subjunguntur & propinantur iis, quorum natura facile fert, & quibus humor crudus

versus superiora vergit inque locis vicinis continetur. Fiunt autem ex croc. Metall. Syrup. Vomit Aq. bened. Rulandi. Fol. Asar. Cort. inter. Samb. & similibus. Pro digestivis usurpant Crem. Tart. Tartar. Vitriol. Magisterium Martis &c.

§. 25. Purgatione peractâ, per sudorifera & diuretica appropriata tartarum in corporis ambitum elapsum discutitur, resolvitur & expellitur. Inter alia autem enumerantur C.C. cum aq. carduibenedict. antim. diaph. Magist. oc. canc. Coral, perlar. Radic. Chin. sarf. pari. lign. sassafras &c. Ludus humanus præprimis laudatur, quod ingentes habeat facultates expellendi & resolvendi tartarum. Insensibiliter discutiunt & expellunt tartarum Chamæpith. Chamædr. petros. centaur. min. & maj. & multa alia; ex quibus omnibus varia componuntur Medicamenta antipodagrica. Neque fonticuli destituuntur utilitate, si præprimis arthritis ex ulcere diuturno in curibus consolidato ortum habeat.

§. 26. Postquam ista omnia ritè exhibita fuerint, opera danda, ut ventriculus, hepar & lien corroborentur, ne materia ista iterum cumuletur. Inveniuntur autem egregia ad id præstandum apud Autores Medicamenta; uti in frigidâ constitutione. Pulv. pept. Cratonis, Pulv. digest. Quercet. Mors. imperial. & similia. Ad caliditatem hepatis commendantur Cichor. Endiv. borrag. bugloss. serum caprinum &c. Lieni prosunt Fumar. Cochlear. chamædr. chamæp. Elix. propr. Nasturt. aquat. cum aliis. Viscera roborant Spir. Vitriol. salis, Tartari &c.

§. 27. Et ne articuli affluentem materiam facilè recipiant, etiam roborari debent; id quod præstabitur adstringentibus & moderatè calefacientibus & siccantibus tàm internis quàm externis. Juvare autem maximè & reliquias humorum in ijsdem absumere dicitur vinaccorum usus, si nimirum articuli

vina-

vinaceis & fecibus vini calidis immergantur. Præferuntur autem ex vinaceis recentia: alii urinæ pueri etiam hanc vim attribuunt, si in calidâ eodem modo foveantur. Huc referuntur thermæ, quæ admodum utiles, & balnea arte facta ex salenitro, sulphure, alumine, vitriolo: articulis enim robur addunt; si in iisdem coquantur beton. salv. chamæp. rosæ, geran. eric. fol. querc. lign. & bacc. Junip. A balneo partes illinuntur oleis, & unguentis varijs, quorum descriptiones apud Practicos.

§. 28. Curatio perficitur 1. in causæ antecedentis, ne ad partem affectam ruat, ablatione, id quod præstabit V. S. si sanguis abundat, Perficiatur autem cito, ut afluxum impediat. Imminente dolore purgatio instituatur ex supra enumeratis, in assuetis verò vomitus primò, post purgans aliquod moveatur. Sudor corpore evacuato provocetur, qvod fieri potest C. C. cum aq. benedict. Antim. diaphor. decoct. Chinæ rad. bardan. &c. Affluxus per revellentia impediatur, sed quæ anodynis permista.

§. 29. Imprimis 2. dolor in hoc morbo vehementer affligit, estq; ægris molestissimus, ut merit curam Medici ad se trahat. Adhibentur autem anodyna præmissis universalibus; ante ea siquidem plus damni qvàm commodi afferunt. Dolorem mitigantia multa passim obvia sunt, inter quæ; Vitell. ovor. cum ol. rosac. vel viol. vel vino dissoluti & tepide applicati, Cataplasma de mica panis in lacte. caprino coctâ additis vitellis ovor & tantillo croci. Pulv. lap. Bezoar. Orient. vel C. C. præparati calore levi cum aceto & melle permistus, impositusq; modo calaplasmatis.

§. 30. In causæ praximæ mitigatione & discussione 3. curatio perficitur; si materia, quæ affluxit evacuetur, ubi locum habent, ungventum de Castoreo, Fungus qvernus Solenandri, Aqua in qua æs & ferrum extincta, & postea Mercurius vitæ ma[illegible]atus &c.

&c. 4. In tophorum dissolutione Mercurius magnarum quidem virium est, sed cum firmioribus emplastris applicandus, ut nimirum tophi resolvantur sine læsione nervosarum partium. Juvat & Cataplasma ex caseo veteri & acri in jure carnis suillæ salsæ intincto &c. Peracta curatione partes roborentur, de quibus supra; & diæta servetur,

---

NEUMANNE artis opes palmarum contegit umbra.
Istis in foliis gloria rara viget.

HErr NEUMANN hält sich wol / bringt angenehme Frucht
auß Dantzig voller Krafft. Ein jedes Wort und Reyhen
in seinem Kunst-Papier ergätzt und macht gedeyen.
Es pflantzet dieser Mann der Kunst-Gewächse Zucht/
an einem freyen Ort/ den Er sich außgesucht
am edlen Pregel Strand / die Menschen zu befreyen
der Schmertzens-vollen Gicht. Den Ruhm wird Ihn verleihen
der Nach-Welt weise Schaar; Trotz aller Jahre flucht.
Herr NEUMANN ist ein MANN der gute Früchte bringt/
die manchem geben Krafft / wenn ihn der Schmertz umringt.
Er spricht es sey noch Hülff auch für die Gicht zu finden.
Kurtz? es ist voller Safft und Krafft ein jedes Blat
was dieser NEUMANN setzt in schöner Blüte Saat/
die Lufft durchsause sie mit süssen starcken Winden.

Pflicht gebürig und Dienst begierig in höchster
Eyl auff der Reiß begriffen gesetzet
von
G. M. S. A. F.

EIn unverdreßner Fleiß hat endlich diß zum Lohn
Daß Er gepriesen wird / diß hat der Musen Sohn
Herr NEUMAN wol bedacht/ drumb ist ihm schon bereitet
Ein unverwelckter Ruhm / der stets den Fleiß begleitet.

Welches dem Hn. Autori zu Ehren eyligst
doch willigst setzte
Chrysostomus Brümmer / P. M.



[illegible] [illegible] utilitatis publicae, vel Ecclesiae [illegible] [illegible]
[illegible] potestne dispensare sine Causa?
Potest, non vero Episcopus: quia est supra jus
commune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
[illegible] illum, quem certo sciret irregularem, ipso
[illegible] cum ipso dispensat. — in confessione ait ergo Sess. [illegible]
ex S. Bernardo
Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est,
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est,
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est. —
quod si conditio sit de praeterito vel praesenti
certe votum remanet reservatum. —
causa parentum. —